



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu
Decretalium pentateu-||chus**

Mesnart, Martin

Parisiis, 1555

xi. & xii. De cognatione spirituali, & legali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

De cogn. spirit. & leg.

& ex quo rescit in eam nec verbo consentit
nec facto: matrimonium separator. Is cum alia
contrahere finitor.

2. *Propo-
suit.* Si enim vir vxorem, postquam ancillam esse
rescit, carnaliter cognouit: ei adhæreto. Alio-
quin diuortii sententia profertor. pecuniam
quam pro dote mulier adtulerit iudex restitu-
tui facito.

3. *Licet.* Si tamen mulier diuortium petet eo quod in
quocum contraxit mancipium etiam ecclesie
proponatur, ipse autem patrem suum tempore
mortis pro libero habitum, nec se à multis annis
suo patrisve nomine status controuersia passum
adseret (maximè si eius regionis mos erit ut pa-
trus patrem sequatur) ratione temporis, & fauore
libertatis pro viro iudicator.

6. *Vni. de
na. ex lib.
ven.* Quod si ex libero ventre, id est seu ingenuo,
seu liberta natus fiet: indubiè liber esto, nec, vel
ab ecclesia, cuius est libertates tueri, ni aliud pro-
basit, in seruitutem reuocator.

De Cognatione Spirituali, & Legali. Tit. 11. & 12.

6. *Veniens* I N T E R patrem baptisati & leuantem mulie-
rem cognatio spiritualis ad impediendum &
dissoluendum matrimonium valida oritor.

2. *Si vir.* Si tamen vir mulierve ignorans, aut dolo ma-
lo filium suum è sacro fonte leuasit: compaternitas
isthæc matrimonium ne dissoluito.

4. *Marti-
nus.* Inter eundem patrem baptisati & vxorem le-
uantis cognitam compaternitas ad dirimendum

quoque matrimonium efficax contrahitor.

Sed & inter baptisatum & baptisantis filiam ^{8. Ex lite ris.} idem impedimentum esto.

Duo tamen duum compatrum filii, quorum ^{1. Vtrum.} neuter compaternitati causam duit (ni loci ^{3. Super eo} consuetudo obsistet) licite contrahunto.

Alioquin si alter causam duit: ne contrahunto, si faxint: separantor. qui contractum scierint ^{7. Tuas nos} ecclesiæ nunciato.

Hæc quoad baptismum. Per catechismum ^{5. Contra-cto.} autem contracta compaternitas matrimonium quidem contrahendum impedito, contractum ne dirimito.

Huic legalis cognatio proxuma esto. in qua ^{c. Vni. de cognat. le-8a.} hoc seruatur. Si qua mihi per adoptionem soror esse cœpsit: quandiu durat adoptio, inter me & eam nubtiæ ne consistunto.

De eo qui cognouit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ. Tit. I 3.

QVI illam, cuius antea consanguineam, ^{7. Frater nitati.} quanuis adhuc septennem, contractis sponalibus extraordinaria libidine polluit, matrimonio conlocabit, ab ea separator.

Quod si sponsæ suæ consanguineam ^{2. Veniens} cognouit, sponsam non cognouit: olli pœnitentia maior quàm pro adulterio inrogator. Cum alia certè contrahere valet. Sin & sponsam cognouit: nec eam nec aliam vnquam ducito.